

Joachim Hartmann    Johann Joachim Praeveke

**Dissertationem Theologico-Polemicam, Argumentorum, Quibus Praestitam Esse Pro Impenitentia Finali Satisfactionem Christi, Apagogice Demonstratur Contra Obmota Vindicias Exhibentem ...**

Rostochii: Adlerus, 1754

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn829744894>


Druck    Freier  Zugang






59.

Fa-1092(59.1)





- 1. Sartorius, de imagine diuina
- 2. Heibitz, de vindictis Salomonis aduersus criminationem scepticismi.
- 3. Semler, de mysticorum interpretationum studio ab Aegyptiis patribus maxime repetenda, hodie parum utili.
- 4. Sartorius, de antirationalismo apostolico, occasione oraculi 2 Cor. 10. 5.
- 5. Semler, de Daemoniacis quorum in euangelio sit mentio.
- 6. Kuhn, *Über die Bedeutung des Wortes "Wort" im N. T.*
- 7. Fichtelmair, de schola Jabnensi celeberrima quorundam Galacarum Academia promittit.
- 8. Feibichius, *Συμπόσιον ἀντισημιτικῶν τερψικῶν.*
- 9. Nettelbladt, de genuina prophetaum de praesenti et de futuro notione.
- 10. Nius, de methodo Hildebrandina.
- 11. Boekner, de morbo ex hypochondriis.
- 12. Gottsched, de memoria Adeliaana et Sygferiana.
- 13. Huet, de personalitate.
- 14. Roessler, de vita veterum sublativis manibus precandi.
- 15. Burgmann, de vetere Testamento etc.
- 16. Hartmann, in 2 Petri 2. 1. de actu reprobis vero refectionis etc.
- 17. *Idem*
- 18. Stepinus, characterem trajectiographi.
- 19. Baste, du Deluge par l'auteur de la methode etc.
- 20. Prüfung der Inauguraldissertation Joh. H. Müllers. von Niemann Ubbelohde.
- 21. Prier, de diuina vaticiniorum origine.
- 22. Prier, de reptione Lutheri verborum Genf. c. 4. comm. 26.
- 23. *הוֹרָה בְּשֵׁן לְקַרְל קַרְלִיץ.*
- 24. Carpow, de speculo exponentem speciatim.
- 25. Carpow, de fucis et tinctura, oculorum, faciei, capillorum exponentem speciatim.
- 26. Quistorp, exegesis theologica notionis biblicae filiorum Dei.
- 27. Quistorp, de adoptione diuina vniuersim spectata.

59.

3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
13.  
14.

- 26.) *Carpow*, de *απαξ* in scriptura *εξομων*, *Silionim* filiarum *Zion*.  
*Jes. 3. 23.*
- 27.) *Burgmann*, de *Deismo* generatim spectato.
- 28.) *Hartmann*, de *impossibili* quorundam ad *Metanoian* reuocatione.  
*Hebr. 6. 4. 6.*
- 29.) *Hardtewig*, de *dormientibus*, *Secunda* agens de *iusta* *Romae* *Salutaris*  
*quantitate* et *mensura*.
- 30.) *Engelenken*, de *otio* *Monachorum* *haud* *probando*.
- 31.) *Rosenberg*, de *genesi* *intellectus* et *rationis* ex *actu* *reflectionis*.
- 32.) *Burgmann*, de *πνεύματι* *illud*. *Christi* *chari* *14. com. 41.*
- 33.) *Burgmann*, de *ayora* in *lege* et *testimonio* *conspicua* ex *Jes. 8. com. 20.*
- 34.) *Burgmann*, de *gratia* generatim *considerata*.
- 35.) *Hartmann*, de *argumentis* quibus *praestitam* *esse* *pro* *impenitentia*  
*finali* *satisfactionem* *Christi*.
- 36.) *Quistorp*, de *notione* *filiorum* et *filiorum* *Dei* *Biblica*.
- 37.) *Ducy mann*, de *Deismo* *naturalistarum* generatim *spectato*.
- 38.) *Hartmann*, de *argumentis* ad *euin* *euincendum* *satisfactionem*  
*Christi* *eti*.
- 39.) *Zahn*, de *polyto* *non* *superintendente*.
- 40.) *Paulmann* = *Gurist* = *Vellus* *uindus* *dia* *Institutum* *in* *Frankfurt*.
- 41.) *Chladenius*, de *uocatione* *diuina* ad *ministerium* *ecclesiasticum*.
- 42.) *Franz*, de *uelibata* *ecclesiasticorum* *specimen* *secundum* *de* *causis* *illius*.
- 43.) *Wülfemann*, de *natura* *methodi* *mathematicae*, *eiusque* *usu* *in*  
*philosophia* et *theologia*.
- 44.) *Nahmachers*, *annotationes* *annotationes* ad *locum* *Matth. 19. 24.*
- 45.) *Peters*, *vim* *cohesionis* *explicandis* *phaenomenis*, *quae* *vulgo* *vi*  
*attrahenti* *tribuuntur* *haud* *sufficere*.
- 46.) *Quistorp*, de *lauris* *poenitentiae* *victimis* *infernitarum* *eti*.

DISSERTATIONEM THEOLOGICO - POLEMICAM,  
**ARGVMENTORVM,**  
QVIBVS,  
PRAESTITAMESSE PRO IMPOENITENTIA FINALI  
**SATISFACTIONEM CHRISTI,**  
APAGOGICE DEMONSTRATVR,  
**CONTRA OBMOTA VINDICIAS**  
EXHIBENTEM,

DEO CLEMENTISSIME FORTVNANTE,  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE ET DOMINO,  
**DOMINO FRIDERICO,**  
DVCE ET PRINCIPE HEREDITARIO MECLENBVRGICO,  
PRINCIPE VANDALIAE, SVERINI ET RACEBVRGI, COMITE ITEM  
SVERINENSI, TERRARVM ROSTOCHII ET STARGARDIAE DYNASTA,  
PRINCIPE ET DOMINO NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO,

CONSENTIENTE FACVLTATE THEOLOGICA  
IN ACADEMIA VARNIACA  
DIE XXIIIX, DECEMBRIS MDCCLIV. H. I. Q. C.  
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

P R A E S E S  
**IOACHIM HARTMANN,**  
PHIL. ET S. S. THEOL. DOCTOR HVIVSQVE P. P. DVCALIS ORDINARIVS,  
SERENISSIMO PRINCIPI REGNANTI MECLENBVRGICO A CONSILIIS ECCLE-  
SIASTICIS, ET DIOECESEOS MECL. SVPERINTENDENS,

ET  
RESPONDENS  
**IOHANNES IOACHIMVS PRAEVEKE,**  
MEGA - SALITZA MECLENB. R. M. C.

\*\*\*\*\*  
R O S T O C H I I,  
TYPIS IO. IAC. ADLERI, SERENISS. PRINC. ET ACAD. TYPOGR.



DESSERTATIONEM THEOLOGICAM

# ARGUMENTUM

DE THEOLOGIA NATURALI

DE DEI UNITATE ET DIVINITATE

DEI PATRIS ET FILII

DEI SPIRITUS SANCTI

DEI TRINITATIS

DEI CREATIONIS

# DOMINUS RICHARDUS

DEI ET PATRIS HEREDITARIUS

PRINCIPALIS

IN THEOLOGIA

CONSTITUTAE FACULTATIS

IN ACADEMIA

THEOLOGICA

PR. A. 1773

# IOACHIM HARTMANN

PHILOSOPHUS

ET THEOLOGUS

IN THEOLOGIA

PR. A. 1773

IOACHIMUS HARTMANNUS

PHILOSOPHUS

ET THEOLOGUS

IN THEOLOGIA

CONSTITUTAE FACULTATIS



Q. D. T. O. T. Q. M. B. V!

## INGRESSVS.



Hactenus in vindicandis argumentis laboravi, quibus impenitentiam finalem satisfactionis Christi esse objectum, directe probaveram, *Diff. mea Inaugurali*. Superfunt alia, quibus apagogice, pro illa satisfactum esse, intuleram, quia, ex negata satisfactione illa, consequantur, quae admitti non debent. Doctissimi impugnantes etiam contra illa argumenta quaedam monuerunt, a quibus liberanda ista sunt, siquidem, consequentias illas, non admittendas, iuste illatas esse, evincendum est. Jam iis, quae *Auctor Obs. et Dub.* contra proposuerat, aliqua reposuit *Defensor meus Cl.*, quibus addenda alia quaedam proponam, atque ad ea, quae contra ipsius defensionem prolata sunt, et ad illa, quae postea *Cel. CARPOVIUS* disputavit, dabo responsum. Videamus ordine de singulis.


A 2

§. I.

## §. I.

**A**dhuc nimirum Diff. Jnaug. §. LXIX. argumentum, quo, *negata pro impenitentia finali satisfactione praestita, intuleram, impossibile esse, ut homo converti, ut impenitentia in homine cessare, ut, loco ejus impenitentiae finalis, locum habere possit poenitentia et fides.* Vir Celeb. CARPOVIUS Spec. XIII. §. XIX. negat consequentiam, adducta ratione, quod ad id, ut homo converti possit, non requiratur, ut Christus pro impenitentia finali, qua tali, satis fecerit, sed sufficiat, eum satisfacisse pro peccatis hominis, ut viatoris. Pro his enim lytro posito, hominem viatorem id adprehendere fide, et salvari, posse. At enim vero haec responsio argumentum non tangit meum, cum saepissime dixerim, esse impenitentiam finalem peccatum viatoris, quod committit homo, ut viator, et pertinere eam ad ultimum vitae actum, qui vere est actus hujus vitae viaeque. Negatur ergo esse hujus vitae actum impenitentiam finalem, et dicatur, eam pertinere ad futurum seculum, ejusque primum actum, adeoque cum impenitentiae finalis termino jungatur idea, quam ab ullo Theologorum, satisfactionem pro impenitentia finali defendentium. illi junctam esse, ostendi nequit, et longo labore disputetur in vanum de eo, quod largiuntur omnes, pro statu futuri seculi quocumque, et primo etiam, satisfactum non esse; aut jungatur termino impenitentiae finalis idea justa, quam suppeditavi Diff. Jnaug. §. LXIIX. et concedatur, esse eam hominis viatoris peccatum, et pro eadem satisfacisse Redemptorem. Hoc unicum probe observatum simul docebit, adhibita hac idea, et ab ipso quoque Cel. CARPOVIO admissa, debere argumentum meum concedi. Concedit enim, Vir Praecll. Si pro aliquo hominis viatoris peccato satisfactum non sit, ab eo hominem converti non posse. Omnis ergo sic controversia redit ad argumentum, quo, impenitentiam finalem non esse hujus seculi, hujus viae, peccatum, demonstrandum erat. Id autem prolatum quidem a Cel. CARPOVIO vidimus, sed tale, quod non evincebat adfertum. Conf. dicta Progr. Mich. §. 8.

§. 2.



§. 2.

Adnectit superiori responsioni, quam §. *praec.* vidimus, aliud adhuc argumentum *Vir Praeclarissimus*: *Audias*, inquit, argumentum simile: *Si medico medicamen non est contra perpetuam rejectionem medicaminum morbo oppositorum, impossibile est, ut aegrotus a perpetua rejectione medicaminum desistat.* Atque nunc quaerit: *An recte hoc sequi putem?* Jungam ego huic argumento eandem sententiam sagacissimi *Obs. et Dub.* Auctoris, quam enunciauit *Obs. et Dub.* p. 7. et cui ideo non respondi *Progr. Pent.* quia huc reservandam credidi propter inferendi similitudinem. *Si dicerem*, inquit, *aegrotum nolle recipere medicinam, quae ipsi destinata est, num inde sequeretur, quod pro ipso, quatenus renuente, destinata sit?* Ex qua quidem propositione quatenus concludere voluit *Obs. et Dub.* Auctor contra meam Exegesein *Dicti Petrini*, jam responsum est *Progr. Pent.* §. 29. cum vero addit quaestionem: *An etiam detur medicina contra recipiendi voluntatem?* et scoptice adjicit, *ni cinere non usto utendum sit, sibi nullam medicinam cognitam esse*, imo et p. 12. toto superiori argumento *Cel. CARPOVII* utitur; idem utriusque disputantium video principium, quod sc. *contra medicinam recipiendi voluntatem non detur medicina.* Contra hoc simile igitur notabo aliqua. *Primo* dispar est ratio medicinae in morbis physicis, et medicinae, quam satisfactio contra mortem spirituales affert, Medicina enim adversus morbos physicos allata solis morbis, a recipiendi voluntate abstractis, parata est, nisi in quantum praestantia medicinae motivum, contra recipiendi voluntatem, suppeditat. Medela malorum, quam Christi satisfactio praestat, etiam parata est contra ipsam recipiendi voluntatem, quae per naturam hominis non poterat non esse finalis, et, ut ab ea converti queamus, gratia nobis per Christum acquisita est. Satisfactionis et gratiae applicabilitas, ut ita dicam, ipsa nobis acquisita est, ea vero applicandi potentia in medicina physicorum morborum supponitur: quae maxima est dissimilitudo. *Secundo*: In morbis naturalibus medendis homini naturalis medica-

dicamen *volendi* inest facultas, cui quippe in naturalibus superest liberum arbitrium. In *spiritualibus* secus se res habet, ut, ni medicina simul resistentiae naturali afferatur, et satisfactio praestita gratiam convertricem paraverit adplicandam, homo a resistentia, propter servum arbitrium, desistere aut liber esse non possit. Unde omnino recipiendi voluntati in *spiritualibus* medela praesto exhibenda erat. *Conf. Heseck. XI, 16. 19. Tertio.* Non solum autem parata est illa medela satisfactione Christi, sed et Deus vires suppeditat, quibus recipere medelam queamus, et in regeneratione vires credendi donat, atque gratia adfistente et vocante hominem per totam vitam, et in *ultimo* etiam hujus vitae *actu*, ad recipiendum commovere intendit. *Quarto*, eo ipso vero contra impenitentiam finalem, satisfactione Christi paratam, medelam offert Deus. *Quinto*, illa vero oblatio, quod de Deo adstruere impium foret, de nihilo, ficta et nulla futura esset, ni contra impenitentiam finalem suppeteret medela, et pro ea satisfactum esset: Ut *septimo* itaque, pro ea satisfactum esse, consistendum sit. His nunc praestructis proponam argumentum *Cel. CARPOVII* ita, ut pro rei natura debebat comparatum esse: Si medico medicamen non est contra perpetuam rejectionem medicaminum morbo oppositorum: et tamen, nisi medicamen contra eam afferatur, aegrotus a perpetua rejectione liberari nequit; prorsus impossibile est, ut aegrotus a perpetua rejectione medicaminum desistat. Hoc omnino recte sequi puto, et consequentiam esse in propatulo arbitror. Quando autem addit *Vir* laudatissimus: *Christum*, pro peccatis hominis, ut viatoris, satisfacientem, acquisivisse homini simul gratiam convertricem, vi cuius impenitentiam finalem evitare queat, se non negare; negare autem, hujus acquirendae causa, sanguine morteque Christi pro ipsa incredulitate finali opus fuisse. Nam si homo convertatur, finalis impenitentiae reum non esse, neque adeo satisfactione Christi pro illa egere; ad eam exceptionem jam respondi *Progr. Mich. §. 14.*

§. 3.

Eidem argumento meo, desumpto ab impossibilitate conversionis et fidei, etiam se opposuit *Auctor Obs. et Dub.* saepe laudatus, *Obs.* p. 12. et primo quidem eodem modo, eademque instantia meum ratiocinium adgreditur, cui respondi jam *Spha. praec.* Deinde, cum dixissem, ideo converti non posse homines, et incredulitatem inevitabilem hominibus esse, *secundum hypothesis Dominorum Opponentium*, quia Gratia convertrix, negato Redemptore, ipsis acquisita non fit, Vir sagacissimus respondet: *Hoc neminem contradicentium adseverare, quod sc. finaliter impenitentes non habeant Redemptorem, nec, quod ipsis gratia convertrix acquisita non fit.* Dissimulat ergo causam: quasi vero ex meis non abunde pateat, me de finaliter incredulo, qua tali, et non in sensu specificativo sumto, loqui, atque hinc quilibet non intelligat, frustra quaestionem mutare Virum callide meis utentem, cum de eo omnino quaestio inter nos agitetur: *an finaliter impenitens, qua talis, redemptus, et ipsi, qua tali, gratia convertrix parata sit?* Quod, a me affirmatum, *Auctor Obs. cum Cel. CARPOVIO* negavit, et nunc negant illi, ni forte nunc mecum sentire videri velint. Quando deinde additur: *futuram esse pro impenitentibus finaliter talibus gratiam, dummodo non forent finaliter increduli;* iterum verborum species veritatem obscurat. Dicam, quid verum in hac sententia sit, quid falsum. Verum est, futuram pro ipsis gratiam, si non forent finaliter increduli, sed quaenam futura esset? Iustificans certe et salvans, non alia, intelligi potest gratia. Si enim non forent finaliter increduli; fideles forent, et finaliter quidem: hinc per gratiam actu iustificati salvarentur. De eo vero nondum est quaestio, sed de gratia convergente et regenerante. Hoc supposito, quis, quaeso, est propositionis sensus: *Si non forent infideles sive, quod idem est, si forent fideles, pro ipsis futura esset gratia convertens. Immanis, si quae alia, est contradictio.* Num sunt fideles, qui converti debent et regenerari? anne vero potius jam conversi illi et regenerate.

46  
36 45  
37 41  
383  
39  
40

generati sunt? ut denuo omnia perfundi et commisceri ex his intelligatur. Tandem, cum dicitur, *naturam infidelitatis repugnare, quo minus in ejus subjecto conversionis gratia locum inveniat.* Hoc si de *actuali conversione passiva* intelligatur verum est: si ita intelligendum, ut ultimo vitae et impenitentiae finalis momento converti non *possit* homo, et, loco ultimi impenitentiae actus, esse in ipso fides, de quo omnis disputatio est; falsum habetur. *Actus fidei simul cum actu infidelitatis in eodem subjecto esse nequit.* Actus tamen fidei *possibilitas* etiam tum adest, cum infidelitatis *actus* ponitur, Impossibile est *converti et non converti simul*: non vero impossibile est, *actu non converti, et converti posse*, simul de eodem subjecto dici. Dum infidelis est homo, *impossibile est, ipsum esse simul fidelem, non vero impossibile est, esse posse fidelem, dum est infidelis.* Omnia redeunt ad neglectam impossibilitatis distinctionem, quam docui. Pr. Mich. §. 20. 21. Quando porro quaeritur: *Cui bono in tali statu futurum homini esset, ut ipsi gratia convertrix acquisita sit?* De eo jam saepe dictum est, quod eam illa acquisitio habeat utilitatem, ut converti, et in ultimo etiam vitae actu converti *potuisset*, et ut veritas verbi et promissi divini maneat, quo, se nolle morientis mortem, pollicitus est Deus, et ut nulla impenitentia finaliter tali supersit excusatio, effugium nullum, *Heseck. XII. 32.* Denique cum pronunciat: *posse tamen improbum, si volet, illum statum impenitentiae ultimae evitare; ad id observo: 1) Mox dixerat Vir Cl. acquisitam convertendi gratiam nulli bono futuram esse homini in tali statu: nunc dicit, si velit improbus, posse ipsum evitare statum impenitentiae finalis infelicem. Ea manifesto contradicunt. Qui enim evitare posset, et qui posset velle evitare, si gratia convertrix ipsi non esset acquisita, et, si ejus acquisitio nullius esset utilitatis? Quamvis autem non existat usus Deo intentus, acquisitione tamen effectum est, ut existere posset, et a Deo omnis remota esset culpa Pf. Ll, 6. 2) Cum Vir Cl. dicit: si volet improbus; locutio est non admittenda, quia voluntatem conversionis producere improbus, et suam conversionem*

nem *velle*, naturaliter non potest, et non potest naturaliter nisi conversioni resistere et impedimenta ponere. Quoniam nunc porro 3) per gratiam quoque convertricem, *ex hypothesi, quae mihi opposita est*, velle conversionem non potest, cum ipsi acquisita illa non sit, et ejus acquisitio, *ex illa hypothesi*, nullius, quod etiam ipse *Obs. Auctor* modo confessus est, futura fuisset utilitatis; ea hypothesi stante *nullo modo* homo a finali impenitentia converti potest. Quare, cum ubique hic habeantur contradictiones, et discernenda inter se misceantur, quam omni nisu contra mea argumenta nihil efficiatur, sole meridiano clarius apparet.

§. 4.

Non absimilis illi, quam §. 2. vidimus, adhibitam a Dominis disputantibus, similitudo est, qua *Cl. Obs. et Dubiorum Auctor* utitur *Vberiori Decl. p. 42. §. VII.* Cum enim, ut in Vindiciis praecedentibus diximus, Argumentum a vocatione et gratia adfistente desumptum invertisset ille, atque sic, ex iisdem principiis oppositam propositionem, et satisfactionem pro finaliter impenitentibus, qua talibus, negantem intulisset,; *Literis ad illum datis p. 19.* regesserat defensor meus, eam argumenti inversionem esse nullam, ni demonstratum sit, *satisfactionem pro impenitentia finali recte negari, et tamen eam pro transgressione legis operum praestitam admitti posse, atque hoc non evicto, vocationem ad vitae finem durantem, pro solo lusu forte habendam esse.* His respondet *Auctor Obj. l. c.* eum in modum, ut 1) iudicio lectorum relinquat, an demonstratione, quam *l. c. in antecedentibus* dederat, evictum sit, cujus Defensor meus, ut modo dixi, postulaverat probationem: eoque supposito, 2) futurum speret, ut vocatio divina ad finem vitae finaliter impenitentium durans, admissa hypothesi, quae pro impenitentia finali praestitam satisfactionem negat, *non magis habeatur pro lusu, ac Patris fidelis seria admonitio filii petulantis et omnem admonitionem insuper habentis.* Quemadmodum autem ex praecedentibus vindiciis jam adparet, spem eam, quam de demonstrationibus suis, *l. c. in antecedentibus datis*, conceperat

B

rat



rat, non satis firmo fundamento niti, idemque ex infra dicendis clarius adhuc intelligetur: ita allata similitudo iisdem, quibus superius adducta, laborat defectibus. Pater enim fidus dum filium hortatur, media contra petulantiam divinitus stabilita, et ad filii emendationem facientia, supponit: quod, in hoc exemplo, ubi medium contra impenitentiam finalem satisfactione paratum, ex hypothese mihi opposita, negatur, fieri non posse, adparet. E contrario, si vim quandam similitudo illa habere debet, in Vocatione serua satisfactio supponenda est. Vnde hoc simili eodem modo peccatur, ac illo, quod pensitavimus §. 2., et satisfactio non supposita, non major est ratio, pro Vocatione statuenda, quam, pro oblatione medicaminis, morborum gravitati tollendae prorsus imparis, sapienti Medico tribuenda.

§. 5.

Persequor in *Diss. Inaug.* §. LXX. argumentum, quod inchoaveram, consecutaria reliqua necessaria jungens: *Si pro impenitentia finali non satisfacit Christus; in impenitenti, qua illum ipsum statum spectato, fides non est possibilis, nec ad fidem is est obligatus, nec ob fidei defectum meretur poenam: quod falsum.* Vir Cel. CARPOVIUS regerit, negata a se primae propositionis consequentia (*vid. §. 1*) reliqua corruere: quod verum foret, si consequentiae negatio probari potuisset. Cum autem, quae contra protulerat Vir peracutus, removerim, adeoque stet consequentia, etiam eo ipso hoc, quod sine effectu impugnabatur, argumentum meum valet. Quando porro Vir Celeb. addit: *hominem peccatorem, ut viatorem, Christum habere Redemptorem, in quem credere possit et debeat:* ego vero satis superque docui, hominem impenitentem finaliter talem, constitutum quippe in ultimo vitae hujus, & impenitentiae hujus vitae, actu, esse hominem viatorem, et illum ultimum impenitentiae hujus vitae, ultimum actum esse hujus vitae; inde abunde patet, illud principium, ab ipso Viro Doctissimo hic admissum, reliquae ipsius sententiae, *de satisfactioe pro impenitentia finali neganda,* omnino contrariari; et confitendum est

est, impenitentem finaliter talem, in ipso impenitentiae hujus actu ultimo constitutum, *posse credere*, quamvis actu non credat, quia credere et non credere simul in ipso non potest esse actu. Cum vero Vir Cel. addit, *propter neglectum fidei, per incredulitatem finalem, jure, et sua culpa, damnari improbum*; hoc utique ego concedo: quomodo vero concedi possit, salva opposita Viri doctissimi hypothese, hoc docendum erat. Potius, si pro ultimo hujus vitae impenitentiae actu satisfactum non est, ab impenitentia finali satisfactione liberatus homo non est, nec itaque ea abesse, et ejus loco fides locum habere, potest: Quare damnaretur homo propterea, quod fidem non habuit, quem habere non poterat. Tandem cum scribit Vir doctissimus: *De cetero in finaliter ἀπίστω, ut tali, fides quidem impossibilis est, quia incredulitas et fides sunt repugnantia; at nil hoc obstat damnationi finaliter ἀπίστῳ, quia per propriam culpam talis est; jam ante Progr. Mich. §. 21. ad 4. β) et alibi ostendi, qualis impossibilitas fidei admitti possit in finaliter ἀπίστω, in hac tamen vita adhuc spirante, et, in ultimo vitae, et impenitentiae hujus vitae, actu, constituto, eandemque fidei possibilitatem absolutam non excludere, et cum eandem illam impossibilitatem hic etiam tantummodo adstruit Vir Doctissimus, adeoque recte statuit, per propriam culpam talem esse ἀπίστον finaliter talem, in eo facile consentio: Sed 1) non potest hoc Cel. CARPOVII adsertum conciliari cum sententia, quod pro ἀπίστω finaliter tali, qua tali, et in ultimo vitae, et impenitentiae hujus vitae, actu atque momento constituto, non satisfecerit Christus. Namque si hoc est; fidei objectum adprehendendum deest, hinc nec fides locum habere potest, sed simpliciter et absolute impossibilis est, in eo ἀπίστῳ statu. Et quamvis, propter culpam peccati in ἀπίστω ponenda, ipse ἀπίστος non sit sine culpa, tamen quia, per hyp. illam, satisfactum non est, culpa simul in defectu lytri, secundum eam hypothesein, ponenda est, adeoque, cum hoc dici nequeat, ea sententia non est admittenda. 2) Dum impossibilitatem tantum hypotheticam eam,*

quam ad principium certitudinis dijudicandam dixi, quia, actuum oppositorum uno posito, alterius tantum, *simultaneam existentiam*, non *absolutam possibilitatem* a subiecto excludit, statuere hic mecum vult Vir Celeb; profecto concipi nequit, *qui non ad banc viam, sed ad futurum seculum, post mortem, referre impenitentiam finalem possit* Vir acutus, et viatoris eam esse peccatum negare, cum in futuro seculo, pro quo satisfactum non est, fides *non hypothetice et ex facto, sed simpliciter impossibilis*, propter deficiens objectum adprehendendum, dicenda sit. 3) Sunt itaque talia, qualia et alibi deprehenduntur, ita comparata, ut fidem facere possint lectori, vere, hypothese *de neganda pro impenitentia finali facta satisfactione*, non ad peccatum futuri seculi, sed viatoris, respici, et pro aliquo hujus viae peccato *satisfactum negari*.

§. 6.

Etiam huic argumentationi sese opposuit Auctor Obs. et Dub. Obs. et Dub. p. 13. adferens, quod oppositum potius sequatur: *Si Christus pro impenitentia finali non satisfecit, ad eam evitandam obligatos esse finaliter impenitentes*: Pariter: *Si Christus pro impenitentia finali non satisfecit, ad fidem obligatos esse finaliter impenitentes*. Mirum, quod adeo facilem refutationem argumenti mei non viderit Vir Acutissimus CARPOVIUS! At sine dubio hic Vir perspicacissimus argumento consequentiam nullam inesse probe perspexit, unde nec ea ratione argumentum meum impugnare voluit, prout vidimus. Quo autem Auctor Obs. et Dub. sagacissimus eo facilius pervideat, consequentiam nullam suo ratiocinio inesse, formabo argumentum in forma ordinaria. Et quoad primam conclusionem erit tale:

*Pro qua impenitentia Christus non satisfecit, ad eam evitandam finaliter impenitentes obligati erant. De Impenitentia finali subsumptione facta, concluditur.*

Quoad alteram conclusionem hoc erit argumentum:

*Pro quorum impenitentia finali satisfactum non est, illi ad fidem obligantur.*

*De finaliter impenitentibus subsumitur et concluditur.*

In

In utroque autem argumento, ut Minor gratis assumitur, ita Major universaliter sumta falsa est. Ratio autem falsitatis est in eo, quia, cum de obligatione, quae ex satisfactione praestita resultat, sermo est, non potest satisfactio negata pro obligationis fundamento sumi; quod est evidentissimum, cum admittatur vitium causae non causae, ut Logici vocant. Argumento proprio non confusus Auctor Obs. novam addit rationem, *quod alias nulla spes locum habere possit.* Quod quamvis verum sit, hic tamen eadem fallacia adhibetur. Quando nam, quaeso, non amplius locum habere potest spes salutis? in hujusne vitae ipso ultimo statu? cessavit igitur cum statu penultimo, non ultimo, et habebis Terminismum, *quem levissima opera ad priora quoque momenta adplicare possis.* Si vero in ultimo vitae momento spes locum habere potest, pro ultimo etiam vitae momento satisfactum dicendum est. Ambiguitate sermonis nimium quantum implicatur Auctor Dubiorum Optimus. Et eadem etiam ratio effecit, ut denuo similitudine usus sit ad rem nihil quidquam faciente. *Unico, inquit, medicamine contra morbum tantum possibili, aegrotus tanto magis obligatur ad illud recipiendum, et tanto minus excusari potest ejus renitentia.* A naturalibus ad spiritualia concludere non licere, id vero, differentia distincte evoluta, superius abunde docui. Renitentia in naturalibus recte a morbo distinguitur, in spiritualibus ipse est morbus, a quo liberari homo medicamine debet. Et, si pro renisu medicamen non suppetit, liberatio a morbo impossibilis, et renisus a medicamine, quod non adest, per lusum culpatur. Quemadmodum per lusum offertur medicamen, quod praesto est nullum. Addam igitur quod simili allato addendum erat, *scil. si renitentiam et recipiendi voluntatem sine medicamine vincere possit, si vero hoc non possit, jure medicamen contra renisum ante expectat, quam propter renisum non omissum culpari possit.* Nunc facile adplicabis et quam frustra proferantur ejusmodi similitudines videbis. Conferri etiam hic possunt, quae dicta jam sunt Differt. praeced. in vindiciis argumenti §. 8. pariterque dicta superius §. 2. 4.

## §. 7.

Argumentatus porro eram in *Diff. Inaug.* §. LXXIV. quod, *negata pro impenitentia finali satisfactione praestita, non possit vindicari iustitia divina, in impenitentium finaliter talium aeterna damnatione se exserens.* Allegat deductionem meam Vir Praecl. CARPOVIUS et, magno conatu me nihil agere, arbitratur. Majora ergo mihi ab ipso Viro Acutissimo expectanda erant. Exhibet. Sed qualia? Non certe graviora atque haecenus vidimus. *Affirmat quippe rationem absentiae fidei non esse in defectu lytri et gratia denegata, sed in hominis animo refractario: qui ergo jure puniatur et damnetur, cuique nullum super sit effugium, obiectio nulla.* Quae quidem omnia, secundum meam sententiam, sibi constant et evicta sunt. At ex opposita sententia firma manere demonstrandum erat. Sed en demonstrationem! Nam, inquit, 1) pro peccatis hominis, *ut viatoris*, Christus satisfecit, et haec satisfactio, 2) ultra quam nulla opus est, 3) per gratiam homini, *quoad vivit*, offertur. Repetam breviter ad singula, quae jam respondi superius. *Ad 1):* Dicit ergo denuo Vir Praecl. impenitentiam finalem non esse peccatum viatoris. Ego vero jam *Prog. Pent.* §. 3. 25. monui, si id statuendum sit, de sola definitione impenitentiae finalis pugnam fore, et argumenta mea, quae a me suppeditatam definitionem respiciunt, non fuisse impugnanda: monui vero et hoc, notionem impenitentiae finalis illam, quae viatoris peccatum esse negat, non esse admittendam, idemque demonstravi *Pr. Mich.* §. 7. 8. ut haec exceptio jam omnino remota sit. *Ad 2):* Vtique ultra satisfactionem, pro peccatis viatoris praestitam, nec alia opus, nec alia data, est: sed ea et ipsa satisfactionem pro impenitentia finali complectitur, quia haec peccatum *viatoris* est. *Conf. dicta Pr. Mich.* §. 14. n. 4. *Ad 3):* Hoc utique verum est: quomodo autem, quoad vivit homo infidelis, et etiam in ultimo vitae, hinc impenitentiae hujus vitae, actu, ipsi offerri posset, nisi contra ipsam infidelitatem finalem satisfactio esset medela, et, quo-

quomodo medela posset esse, nisi pro ea satisfactum esset? Offerretur sane medium, quod medium amplius non est, quia in ultimo vitae actu jam versatur, in eo statu, homo, pro quo satisfactum non est, *secundum istam hypothesein*. Cum deinde propter fidei absentiam punitur homo; Quid, quaeso, dicendum est? Anne plecteretur propter negatum actum fidei, cui nulla data erat adprehendenda satisfactio? quod quomodo vindicet justitiam divinam, videat quisque volet. Quae ergo hactenus pro se allegavit Vir eximie perspicax, ea contra ipsum pugnant, tantum abest, ut ejus hypothesein juvent. Sed habet plura Vir facundus, quae non multum differunt, aliis verborum involucris proponens. *Si de homine*, inquit, *ego loquar, qui impenitentiam jam morte consummavit* (secundum sc. statum post mortem spectato: Anne vero is ipse est, qui non amplius est viator? Ad superiora ergo cuncta redeunt); fateri se dicit, absentiae fidei (sc. post mortem) rationem esse in denegato Redemptore, quia pro impenitentia finali satisfactum neget, et, damnatis (de statu ergo post mortem loquitur) datum non esse Redemptorem, constat. Moneo 1) *De homine infideli*, secundum statum post mortem, me non loqui, docet definitio impenitentiae finalis a me suppeditata *Diff. Inaug. §. LXIIX.* 2) *Pro eo statu*, sc. post mortem, spectatum infidelem esse sine fide, ideo, quod non habeat Redemptorem, largiuntur mecum omnes non Apocatastatistae: sed, non propterea, quod pro impenitentia finali, ultimo *hujus vitae* peccato, data satisfactio non sit, verum, quia Redemptor pro viatore homine tantummodo datus est, non pro demortuo, et jam in damnatione constituto. 3) *Probe intelligo*: qui pro impenitentia finali, hujus vitae peccato ultimo, satisfactionem negat, etiam a negato Redemptore absentiam fidei in statu post mortem derivare: sed non necessarium est, ut, qui absentiam fidei in statu post mortem, et pro eo statu negatum Redemptorem, docet, statuatur, pro impenitentia finali, ultimo hujus vitae peccato, satisfactum non esse, et negatum Redemptorem. Ea itaque probe sunt distinguen-

guenda. De statu post mortem in hac materia nulla quaestio est, sed de ultimo hujus vitae, de ultimo impenitentiae hujus vitae, vitaeque, actu, in quo constitutum nemo dixerit jam actu damnatum.

§. 8.

Quando autem invertit argumentum meum Vir Celeb., et potius, *admissa, pro finali impenitentia praestita satisfactione, justitiam divinam, damnationis poenam adjudicantem finaliter impenitenti, vindicari non posse*, arbitratur, et pro probando obmoto provocat ad specimen IX. §. 12.\* videndum et ponderandum venit, quod ibi a Viro Cel. allatum deprehendimus. Ibi vero prolata eo redeunt omnia, quod, si pro impenitentia finali satisfactum sit, non possit homo damnari propter eam impenitentiam finalem, quin, ut dicitur Spec. VIII. §. 7. in fine, homo finaliter impenitens semper dicturus sit: Ergo possum vacare fide salva salute: quia sc. Deus non possit unum peccatum duplici poena punire, altera in Redemptore, altera in peccatore, quae quippe ratio addita est Spec. IX. §. 12.\*. Ast, non solum haec allegata ratio factis a me remota Pr. Pent. §. 23. 24. 25. 26. 27. sed luculenter etiam ostensum est, non posse praestitam satisfactionem sine fide imputari (l. c. 26. 27.) atque hinc semper cum negata applicatione committi negatam acquisitionem, nullibi tamen demonstrari, in exemplo, de quo quaestione est, sc. impenitentia finali, eam, quae in statibus hominis viatoris praeviis non valere admittitur, argumentationem valere debere. Quae caeteroquin de progressu in infinitum dicuntur Spec. IX, §. 12.\* ad ea singulariter respondebimus suo loco.

§. 9.

Ad superiorem meam ratiocinationem etiam, et duplici quidem modo, respondet Auctor Obs. et Dub. p. 13. Primo meam facit hanc Majorem: Pro quibus Christus non satisfecit eos, juste Deus non damnat. Atque deinde de diabolis subfumit, et me conce-

concedere debere conclusionem arbitratur. Secundo talem meam fingit Majorem: *Pro quocunque peccato Christus non satisfecit, illud Deus in peccatore juste non punit.* Et sub conditione, *si nobis datus non esset Redemptor, infert, Deum non habuisse jus homines lapsos damnandi, quare, stantibus illis principiis, melius futurum fuisse, si nullus hominibus lapsis datus esset Redemptor, inde consequi docet.* Ea vero sunt ejusmodi, ut horrore perfundi debeant, qui ista legunt. Si verum esset, ea consequi, castitas tamen loquendi, Theologos decens, confectaria illa proferre vetaret. Ego vero 1) *velim*, et etiam atque etiam rogo, ut Majores mihi, imputatas in scripto meo Auctor Dub. et Obs. l. c. ostendat, idemque ubi non potest, secum solo se disputare intelligat Auctor. Ego ex hypothese disputo inferens: *si pro impenitentia finali non satisfecit Christus; sequitur, quod propter impenitentiam finalem damnans, justitia Dei non possit vindicari.* Num hoc jam idem est ac si dicerem: *Deus non juste punit?* Neutiquam, quin potius negetur tantummodo hoc, quod damnationis finaliter impenitentium justitia abs homine peccatore damnato cum convictione intelligi possit, cui quippe semper effugium maneret quod redemptor possibilis pro eo peccato ipsi datus non sit, quem ergo fide apprehendere et ab impenitentia liberari non potuerit. Non itaque confectaria sua Auctor doctissimus formare debuisset, sed docere, *quomodo damnatus, stante hypothese mihi opposita de damnationis suae justitia convincendus sit;* quod cum non praestet, profecto in solas consequentias, minus recte formatas, incidit. Sed! quidni praestet illud! Docet enim, si recte velim argumentari, Majorem argumenti mei futuram falsam illam, quam supra recitavi, Eam vero majorem recte si expressisset, et tum falsa ista sequerentur, jure non haberem de quo conquererem. Sed eam Majorem meam facit, quam meam nunquam deprehendet partium studio non laborans. Major mea haec est *Quaecunque justitia divina impenitentiam finalem, pro qua satisfactio et fides possibilis et tamen data non erat, aeterna damnatione plectit, ea justitia divina non potest vindicari.* De justitia Dei vindicativa sententiam condemnatoriam ferente  

C  
secun-



secundum hypothesin mihi *oppositam* subsumtio erit. Videat nunc Auctor praeclare doctus, an de *Diabolorum* impenitentia subsumere possit contra Scripturam. Et an Scriptura, et amore infinito divino, cui iustitia divina repugnare nequit, contradicente, ponere possit, *pro peccatis*, pro quibus satisfactio, et pro peccatoribus, in quibus *fides possibilis erat*, non datum Redemptorem, et eo posito nihilominus, vindicare propter incredulitatem condemnantem peccatores eos iustitiam divinam. Quod antequam demonstravit suas, velim Maiores non reputet pro meis et meas esse nolit lectoribus persuadere. Reliqua vero consecraria nunc etiam non mihi imputet et tribuat, summopere illum rogatum volo.

§. II.

Cum dixissem *Diff. Inaug.* §. LXXIV. de merito Redemptore et gratia ad convertendum negata, impenitentem finaliter talem culpam impenitentiae finalis semper repositurum esse in defectum Redemptoris, et satisfactionis; *Cl. Obs. et Dub. Auctor* a) non recte dicit consequentiam *meam*, quia non ego ita concludo, sed tantummodo peccatorem ita concludentem introduco, et principia ad ipsius refutationem, *sub hypothesi, quam nego*, deficere dico b) Cum dicit, hoc aequè parum consequuturum esse, ac si dicerem: *si medicus contra perpetuam medicaminis rejectionem non habet in promptu medium, sequi, quod culpa renitentiae perpetuae fit in defectu medicinae, et voluntatis ipsius medici, de auxilio aegroti ferendo*: Cum potius sit *stulta pertinacia aegroti*. Ad illud exemplum jam supra respondi, quod hic repetere foret supervacaneum. Quilibet autem intelliget recte consequi: *si medicus contra medicinae rejectionem (cujus absentiam tamen solus medicus medicamine oblato, nullo modo aegrotus, tollere poterat, quin debebat) non affert medelam, culpam durationis renitentiae esse in defectu vel medicinae, vel voluntatis medici*. Quod nunc facile applicabitur.

§. 12.

## §. 12.

Iam iis, quae his consequentiis, a me rite formatis, opposuerat Vir Doctissimus Auctor Obs. et Dub. respondit aliqua Vir egregius defensor meus *Anonymus*, et recte monuit, ab *impenitentia finali ad quodvis peccatum, in dubiis ad consequentiam TERTIAM formatis non legitime*, formando universalem Majorem, quae mea non sit, *progressum esse illum optimum Virum*. Pro eo quippe sensu, quem Defensor meus sequitur, hoc non incongrue dicitur, quatenus scilicet ad obligationem in Christum credendi respicitur. Ego tamen superius in limitatione illa, quam adduxi, potius subsistere volui, ne, cum de impenitentia finali generatim pronunciant contradicentes, discrimen fiat inter universale et particulare assertum, et de *sola* ea impenitentia sermo fiat, quae *distincte* contra Redemptorem agnitione proditur.

## §. 13.

Iis, quae dixerat *Defensor* meus varia respondet *Decluber*. pag. 48. 49. *Auctor Observationum Doctissimus*. Primo multus est in demonstrando, quod nolit mihi imputare, quae a me dicta non sint, interim tamen ultimo p. 50. iterum statuit propositionem, quam meam sumserat Majorem, meam esse. Quibus vero omnibus nihil repono, quia jam distincte ostendi §. 10. quod non posuerim Majorem, quam meam facit is Auctor, et eam ipsam propositionem Majorem, quam sumsi, allegavi, et totum inferendi modum expressi, quem quidem ipse Vir doctissimus invenisset, si regulas Logicorum de reductione Syllogismi conditionalis ad Categoricalum et ordinarium meminisset. Deinde objectioni a Defensore meo factae, quod propter omissionem actus fidei, ad quem obligatus non est peccator, non posse puniri, respondet quod *πρώτον ψεύδος* haereat in eo, quod satisfactio pro incredulitate finali non distinguatur a satisfactione pro culpa ex lege. Cum sc. posterior praestita etiam sit pro finaliter impeni-

poenitentibus, hos obligatos esse, ad fidem in illam satisfactionem. *Ista vero cuncta causam nihil juvant, quia non ostensum est, unde in finaliter impenitentibus applicans illam satisfactionem, fides possibilis sit, cum ab infidelitate finali, qualis quippe, quae per naturam inhaeret, non potest non esse, ex hypothese illa, quam impugnamus, liberati non sint, hinc eam evitare non possint, finaliter infideles. Sententia igitur foret haec: quia satisfactio praestita est pro culpa ex lege finaliter impenitentium, iidem obligati sunt ad fidem, qua illa satisfactio applicatur, fidem, inquam, quam tamen propter infidelitatem finalem ipsis naturalem, pro qua factum non est, obtinere nequeunt. Quis non intelligat vagos lusus et satisfactionem nullam? Porro, cum contradictorium dicit, loqui de incredulo et tamen nullam pro ipso factam satisfactionem statuere; hoc omnino si verum esset, instantias, ab ipso Auctore consequentiae meae oppositas, a Diabolis et hominibus lapsis, sub conditione, quod redempti non sint, defumas, quas ipse Auctor Decl. uber. p. 48. 49. sub restrictione infidelitatis intellectas vult, refutaret. Imo, cum ex hypothese opposita tantum loquatur Defensor meus, contradictio in hypothese oppositam redundaret, tantum abest, ut responsionis loco reponi possit. Quae reliqua proferuntur, sc. satisfactionem in incredulitate supponi, ea erroneam repraesentationem sapiunt, contra quam disputavi jam Pr. Mich. §. 18.*

(\*) Vid. in Adjecta plagula.

§. 14.

Cum ad quartam meam consequentiam ab Auctore Dubiorum prolatis opponit Defensor meus: *negata satisfactione secunda, primam pariter esse negandam\**; in eo secundum illam interpretationem, quam menti ipsius conformiter dedi Pr. Mich. §. 19. me facile habebit consentientem, quemadmodum per ea patet, quae Pr. Pent. §. 14. dixi. interim ne difficultates crescant disputando. in eo malui subsistere, ut consequentiam, recte formata propositione procedere docerem, quod praestiti Spho. II.

(\*) Wenn ich Satisfactionem secundam leugne, leugne ich auch primam. In dieses, wird der Ungläubige sagen: wie kan ich glauben, da gar keine Satis-

satisfaction vorhanden? Nun aber kan kein Mensch völlig überführet werden, daß keine satisfaction für ihn möglich sey; der aber, so satisfactionem secundam leugnet, wird ihn auch nicht von dem da'eyn der primae überführen können. Folglich auch nicht davon, daß es bloß an ihm liege, einen satisfactorem wirklich zu haben; sondern die Schuld des Unglaubens, oder vielmehr der Verdammniß (denn eigentlich zu reden, fällt bey diesen Umständen der Begriff des Unglaubens gänzlich weg), wird immer in den Mangel der vielleicht möglichen Genugthuung und Gnade, von dem Sünder gesetzt werden. Folglich die Gerechtigkeit Gottes in seiner ganzen Strafe, bey dem Sünder nicht können gerechtfertiget werden.

S. 15.

Caeterum notatis a Defensore meo et ipsis terminis infra lineam adductis parodia quadam respondet simili expressam et simile adaequatum objecto praedicat. Ut facilius, quam parum eo simili nodus solvatur intelligi possit, responsionis loco simile repetam, et deficientes ex disparitate causae limitationes addam, atque pauca deinde subjungam. Vir autem sagacissimus repetit citata Spho praec. Defensoris mei verba et simili quodam involvit sequenti modo, dum: Wenn ich leugne, inquit l. c. p. 52. 53. daß für eines Patienten beständige Verwerffung aller Medicamente eine Medicin sey (et tamen renitentia illa constans morbum ipsum ingreditur, et, ni, ad eam tollendam et temporariam reddendam, ipsum medicamen suppetat, morbus tolli non potest, ita enim in spiritali morbo (vel morte potius) se res habet, renitentia ipsum morbum ingreditur, et ni, ad renitentiam, qualis per naturam non potest non esse, finalem tollendam, et temporariam reddendam, ipsum illud medicamen suppetat, morbus tolli non potest, adeoque addita determinatione simile carere non debuisset); So leugne ich auch die Medicin vor die (potius eine solche) Krankheit (Recte omnino: nam, renitentia in temporariam non mutata, non tollitur morbus, et, in hoc exemplo, non nisi ipso contra morbum medicamine mutari in temporariam potest.) Ist dieses, wird der Patient sagen, wie kan ich ein Arzney-Mittel einnehmen, da gar keines vorhanden ist? (Et recte dicet per conditiones morbi positas). Nun kan kein Patient völlig überführet werden, daß kein Hülfsmittel für ihn möglich sey

C 3 (Nam

46  
36 45  
37 41  
38 53  
39  
40

(Nam dum spirat sperat, et, in spiritualibus, in homine fidem esse absolute impossibilem, quamdiu homo vivit, demonstrare nequit): der aber, welcher leugnet, daß für die bei beständige Berwerffung aller Medicamente ein Medicament sey, wird ihm auch nicht von dem daseyn eines Hülfsmittels wieder seine Kranckheit überführen können. Folglich auch nicht davon, daß es blos an ihm liege eine Hülffe wirklich zu haben (Rectissime! quia voluntatem fumendi medicamen non potest ipse producere sine medicamine per hypothesein, et ipso medicamine renitentia tollenda est, atque, ni tollatur, abesse non potest, nec morbus tolli, quem illa ingreditur) sondern die Schuld seiner beständigen Berwerffung aller Arzneymittel oder vielmehr seines Todes (quae sc. consequitur, naturalis, et in spiritualibus, aeternae, mortis) wird immer in dem Mangel der vielleicht (cur fortasse dicat et Defensor meus et Auctor Dubiorum equidem ignoro, dicendum fuisset entweder unstreitig) möglichen Medicin, und (potius oder in dem Mangel der) Bereitwilligkeit des Arztes ihm zu helfen von dem Patienten gesetzt werden. Sie wird in dem Mangel der Medicin, nach dem Begriff des Krancken liegen. Liceat etiam nunc mihi quoque subiungere quaestionem: quomodo Viro Doctissimo Auctori Obs. et Dub. haec, limitationibus necessariis instructa placeat parodia? Et anne ex ipso statim ejus initio animadverti queat, quam parum ab exemplis naturalibus argumentatio hic procedat ad spiritualia, atque quam parum exemplum prolatum, licet acute excogitatum, ad objectum, de quo disputatur, quadret? Quinimo quam facilis, a negata pro infidelitate finali satisfactione ad negandam eam pro transgressione legis reliqua, sit argumentandi via? Liceat tamen etiam adjungere aliqua. Arbitror ex hac parodia patere: 1) non potuisse Virum perdoctum ad exemplum suum concludere in eo casu, de quo disputamus nisi velit admittere: hominem suis viribus naturalibus posse sibi adplicare satisfactionem pro transgressione legis operum praestitam, quamvis, non praestita simul satisfactione pro impenitentia finali, ut temporaria, quae per naturam finalis erät, renitentia fieri posset,

*non sit acquisitum.* Quod tamen jure suspicor non admissurum esse Virum praeclare doctum. II) *Non posse*, per naturam miseriae nostrae, statui satisfactionem pro transgressione legis operum, nobis imputabilem, nisi simul statuatur, *pro renitentia nostra naturali, hinc*, qualis non poterat non esse, *finali*, esse satisfactum, eoque ipso effectum, ut temporaria illa fieri posset. III) *Quaerere* liceat cur *parodiam*, quam dicit, *Vir sagacissimus ad reliqua*, quae iis, quibus *parodiam* aptavit, *addiderat Vir Optimus Defensor meus*, et quae superiori meae, quam per compensationem institui, *parodiae eorum*, quae Auctor Dub. dederat, bene jungi potuissent, *in ipso schemate*, non *continuaverit*? Continuabimus nos additis quibusdam eam et hic germanice, propter Auctoris *Parodiam germanicam* enunciabimus? Wenn man nun noch dazu annimmt, daß derselbe Arzt, welcher gar wohl weiß, daß das Mittel gegen die beständige Verwerffung (welche doch mit der Krankheit unzertrenlich verbunden ist) nicht gerichtet, noch kräftig sey, und daß doch ohne einem auch gegen sie dienlichem Mittel weder die Verwerffung durch eigene Kräfte des Patienten vermieden, noch die Krankheit gehoben werden können, das sage ich, derselbe Arzt dem ungeachtet dem Patienten dieselbe Medicin beständig, auch bis er stirbt, vorhalte, und dessen Annehmung verlange. Solte man wol anders urtheilen können, als daß es mit diesem steten Anerbieten ein blosses Spielwerk sey? Ja wenn man noch weiter annimmt, daß der Arzt so gar auf die beständige Nicht-Annehmung der Medicin, die er doch nur blos allein durch ein hinlängliches Mittel hätte in eine zeitige (temporariam) Nichtannehmung verwandeln können, die Straffe des Todes gesetzt habe (quemadmodum sc. *renitentiam finalem Deus aeterna morte punit*); Solte man denn die Gerechtigkeit eines solchen Arztes in seiner ganzen Straffe bey diesem in der Straffe sterbenden Patienten (et, in nostro exemplo, *justitiam divinam, morte aeterna punientem, contra damnatum*) wohl hinlänglich retten

46.  
36 45  
37 41  
2863  
39  
40

retten können? Stupeo profecto, cum consecraria sententiae mihi oppositae respicio, quae parodia sua mihi exposuit Vir, quem consecratorum illorum reum non suspicor. Veneror ego, o Redemptor, o Bone Deus, praestitam etiam pro impenitentia finali satisfactionem, qua non modo effecisti ut finalis nostra, qualis per naturam corruptam erat infidelitas mutari in temporariam potuerit, sed etiam ita egisti, ut omnibus pateat, te justum esse, et, cum judicaris ab hominibus, manere sanctum, purum, et perfectum Ps. LI, 6!

§. 16.

Non possum facere, quin paucis respondeam ad ea, quae Consensui Theologorum a me allegato opposita sunt. Quem admodum scilicet arbitror, Viri *Cel.* CARPOVII sententiae primum esse non satis stabile fundamentum, quod *intermedium quoddam* ponat inter vitam et mortem, *in idemque inter medium referat impenitentiam finalem*: Atque hoc ipsum intermedium etiam ansam praebuisse existimo, quod ad ipsum impenitentiae actum mox, mox ad statum post illum actum, cum mortuus est impenitens, satisfactionis negationem referat Vir Celeb, ea ratione hoc intermedium comparatum sentiens, ut ad hanc vitam et ad futurum seculum possit pro lubitu referri; Ita de iis ex *Cel.* Theologis, qui partibus *Praec.* CARPOVII alicubi favere videntur, jam in ipsa Dissert: Inaug. mca §. LXVII, dixi, quod *distinctione* facta, incidisse videantur in disputationem, quae dubium relinquat, *an* ultimum momentum impenitentiae finalis *ad hanc vitam, an ad futurum seculum referri* debeat: et hinc *incipitem* disputationem ego sedulo, et ipsa jam definitione impenitentiae finalis, evitare volui, ad hanc vitam eam referendam esse docens, et deinde *Progr. Mich.* §. 8. demonstrans, ejusmodi, intermedium, quod haesitanti et ambiguae sententiae locum facit, non esse adsumendum. Unde si vere pro *Cel.* CARPOVIO intelligi isti viri summe venerabiles forent, mihi tamen illorum auctoritas opponi non posset, qui ambiguitatem illam studiosè removi definitione mea

mea. Sed salva adhuc res est! Non illos mihi viros contrariari prorsus ex integra ipsorum sententia convincor. B. MEISNERUS enim, quamvis p. 58. divisionis dubiae tricus implicatus in explicando *Judae* exemplo impenitentiae finalis ultimum actum voluerit simul facere futuri seculi primum, et pro illo factam negare satisfactionem, satis tamen terse scripsit *Qu. Vex.* p. 54. si Christus pro finali incredulitate non satisfecerit, finaliter impenitentes finaliter et in agone neque potuisse neque debuisse credere, neque ob incredulitatem finalem posse damnari, et iterum p. 56. affirmamus hoc, inquit, in genere, quod Christi meritum se extendat ad omnem impenitentiam finalem etc. Omnisque ratio negatae pro *Judae* impenitentia finali satisfactionis ab ipso in eo ponitur, quod jam in inferno fuerit impenitens. Unde propter enunciata Viri B. I. C. p. 54. 56. recte, ipsiusque menti conformiter, arbitror eum intelligi, si negata satisfactio ad solum statum, post impenitentiam hujus vitae jam finitam, non ad ipsum impenitentiae finalis et hujus vitae ultimum actum referatur. In quo ergo me totum consentire saepius fassus sum. Atque, eandem etiam esse B. QVNSTEDII sententiam, ex ipsis terminis patet, quibus finali non adplicatione dicit terminari seculum et inchoari infelix aevum, eamque non ad hoc seculum sed ad aevum damnationis pertinere. SCHERZERUS autem manifestissime de adplicatione satisfactionis loquitur, et de irremissibilitate impenitentiae finalis, derivanda ex negata applicatione praestitae satisfactionis, quam ego *Diss. Juug.* dixi internam hypotheticam, eandemque salva mea thesi impenitentiae finali tribui, ut itaque ex omni asse mecum et contra virum *Celeb.* sentiat B. SCHERZERUS. Quod autem B. SCHERZERUS *Cel. CARPOVIUS* Spec. IX. §. XVIII. ita interpretatur, quasi tantummodo adstruat, Christum satisfecisse pro impenitentia, quae fere est ad finem vitae continuata, id sine ratione statuitur, nec verba Scherzeri: modo peccator non resistat, id inferunt, ea enim, quid a parte peccatoris poni debeat, innuunt, si satisfactio in se sufficiens adplicari, et hinc impenitentia, interne absolute remissibilis, actu remitti et tolli debeat.

D

Eo



Eo vero non posito, uti recte adplicatio negatur, ita inde ad non praestitam satisfactionem tanto minus progreditur B. SCHERZERUS, quanto certius manifestissima contradictio foret, satisfactionem, quae non praestita est pro impenitentia finali ad hujus remissibilitatem sufficere. Hisque omnibus ita se habentibus perstat tamen adsertum subsequens B. SCHERZERI, *quo absurdum pronunciat, si quis dicat, Christum hac conditione mortuum esse pro finaliter impenitente et P. in Sp. S. ut nihilominus salvetur, etsi finaliter sit incredulus et in impenitentia moriatur: quia satisfactione praestita pro impenitentia finali id tantum effectum est, ut ab ea homo liberari possit, quod potuisset omnino impenitens finaliter talis.* Quantum ad B. KROMAYERVM attinet, ejus sententia omnis eo tendit, non, ut pro impenitentia finali satisfactum esse neget, quoad *ultimus ejus actus adhuc in hac vita durat, sed, satisfactione non esse effectum dicat, ut post illam morte finitam adhuc possit imputari satisfactio.* Quod sententiae, quae pro ultimo etiam *in hac vita impenitentiae actu satisfactum esse dicit, eo fine, ut, eam in hac vita evitare, et loco ejus fidem habere homo posset, omnino congruit.* Aequivocationem aliquam habet apud B. KROMAYERVM terminus *inferre* cum distinguit inter peccata, quae damnationem merentur, et inter ea, quae damnationem actu inferunt. Significare enim potest, quod jam in ipso actu conjunctam habeant damnationem: et significare quoque potest, quod post actum sequatur demum damnatio. Hoc posito, tantum dici posset, ejusmodi peccata damnationem mereri, atque sic posterius membrum cum priori coincideret, quod foret contra B. KROMAYERI mentem. Ergo secundum priorem illius termini sensum intelligendus est Vir beatus ille, ut de peccato primo in statu damnationis post hanc vitam, non de peccato hujus vitae ultimo, sensus ipsius accipiatur. Atque eam etiam esse B. WÜRFELII et S. R. WALCHII sententiam, ex ipsis Virorum terminis patet. Eandemque jure arbitror esse S. R. MEEÑII, quia ea ad refutandum Apocatastatistas sufficit. De Cl. BÜTT.

BÜTTNERO et MÜLLERO sententia ferenda est ex iis, quae ad argumenta mihi opposita dicta sunt. Nihil autem magis mirari possum, quam quod mea contra ipsum me producat Vir Praecell. cum tamen ex collatis definitionibus datis *Dissert. Inaug.* S. LXXV. manifestum sit, allata a Viro Praec. verba mea de impossibilitate fidei, hinc irremissibilitate impenitentiae, *interna absoluta*, non *hypothetica* loqui. Constat autem ex *Dissert. mea Inaug.* me hanc, non illam, impenitentibus finaliter talibus tribuere, et ex haecenus disputatis etiam jam satis apparet, aliam, quam *hypotheticam* impenitentiae finali competere, a Cel. CARPOVIO non esse probatum. Sufficiant ista ad removenda ea, quae quoad Consensum Theologorum contra me Cel. CARPOVIUS disputaverat.


S. D. G.

VIRO NOBILISSIMO, PRAECLARE DOCTO, ATQUE  
ORNATISSIMO,  
 DOMINO  
 IOHANNI IOACHIMO PRAEVEKE,  
 REVERENDI MINISTERII CANDIDATO DIGNISSIMO,  
MULTIS NOMINIBUS LAUDATISSIMO,  
 RESPONDENTI STRENUO ET EXIMIO,  
S. P. D.  
 PRAESES.

**E**a est magnopere laudanda illorum, qui ad sacra officia adspirant, ambitio, ut, cum virtutis studio atque pietati dicatum gerant animum, non in iis modo, quae ad explicationem textuum sacrorum pertinent, atque ad obeundum Ministerium Ecclesiasticum simpliciter  
 neces.

necessario requiruntur, ad exegésin Veritatum, et dogmatum fidei illustrationem, spectantia, et officiorum inculcationem iuventia, curatorem scientiam demonstrent, sed et promtos semet exhibeant in redarguendis adversariis, et eliminandis, quae saniorum verborum formae opposita sunt, et nihil, quod ornare ad officium sacrum promptitudinem possit, inexpertum reliquisse videantur. Eximie enim falluntur, qui refutationem eorum, quae a regula veri recedunt, non magno opere eos decere, sibi persuadent, qui viam salutis docere debent: quorum sententia eo solo satis refellitur, quod finibus, per Scripturam a Deo intentis, et officii Ministri Ecclesiae connumeratur Elenchus. Tu vero, Vir Nobilissime, R. M. C. Dignissime, Tuis, quibus boni Te omnes maestandum iudicant, laudibus, quas hodie solide et acute respondendo auges, illorum hypothesin destruis, ipsosque Auctores confundis, qui Scientiam veritates contra subtilitates defendendi despiciunt. Age! capesse, quae te manet, ex diligentia, ex scientia, et ex amore veritatis, laudem atque gloriam. Ascende in Cathedram veritate, et ad eam tuendam instinctu, et armis Spiritus, ornatus: et descende honore et victoria condecoratus. Continuo, per Spiritus Divini gratiam, Tuus in Sacras Literas ardor augeatur. Augeatur, quam ex Sacro veritatum fonte oriundam sentis, voluptas et ad summum fastigium adscendat, Crescat ex foecundissimis his principiis Optimi et Rev. Parentis Tui, Verbi Div. Min. Vigilantissimi Fidissimique, de filio tantae Spei exultatio. Accedat divina benedictio et pateat, ex propinquo, Tibi, a Salvatore ad aperta janua ad officium, quo Deo, et Ecclesiae sacras vires in multorum salutem convertere possis! Vale mihi que fave! Dabam Rostochii V. ante Cal, Januar, A. R. O. c̄iōccclv.







✱ \* ✱

Lib. I. Sect. XIII. Eo modo se res ha-  
n magnetibus. Mihi quidam est, qui  
massam in distantia crassitiei chartæ  
videtur, quæ illi tamen, dum se pro-  
t magnes & ferrum, satis forte ad-

æ hucusque exposui, abunde elucescit,  
solam illa haud actuare phænomena,  
si cuidam Physici tribuunt. In hac igi-  
nus, vana erit persuasio, si in internas  
vires naturæ, opinamur. Interim ta-  
dam ut adsit, necesse est. Qualis igi-  
vis attrahens, agens in distans, cor-  
is aut naturalis, ut quamlibet materiæ  
netis instar concipere liceat? Si affir-  
fecasse non solviffe, Philosophi dicent.  
mechanica suspicanda est ratio? Nondum  
ndum est, excogitari posse motum ma-  
t ostendi per impulsum ea fieri, quæ  
tæ attrahenti tribuimus? Mechanis-  
ditionis inter impossibilia esse referen-  
us evictum est ac per attractionem  
oni; licet per plurimi, e. g. *celeb. Krat-*  
*s, Hambergerus alique*, demonstrare pri-  
cicut nec vortices cœlestes ita destru-  
*Newtoni* ratiociniis, licet d' *Alembertus*  
mare & ab objectionibus *Joh. Bernoulli*  
it, ut nulla restaret possibilitas a ma-  
impulsu, motum derivandi corporum  
cœle-

C 3

cœle-

